



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *OENIPONTANAE**

ADMINISTRATIO APOSTOLICA OENIPONTANA

AD GRADUM DIOECESIS ATTOLLITUR.

Sedis Apostolicae mos est et consuetudo ecclesiasticas circumscriptiones ibi locorum constituere, ubi catholicae res non solum magnum adhuc habuerint, sed spem etiam aiant maius posthac incrementum eas esse capturas. Qua de re, cum Oenipontana Administratio Apostolica, ob locorum amoenitatem maximeque ob sacerdotum ac religiosorum virorum sollertiam fideliumque animosam voluntatem inter omnes celebris, ea sit felici condicione ut dioecesium numero accenseri possit, opportunum visum est Nobis, ad huiusmodi negotium perficiendum, ea quae sequuntur auctoritate Nostra apostolica decernere atque iubere. Ad normam conventionis, quam die septimo mensis Iulii, hoc anno, Sedes Apostolica cum Austriae nationis moderatoribus iniit, postque auditum venerabilem Fratrem Paulum Rusch, Episcopum titulo Meloënsis et administrationis apostolicae Oenipontanae sacrorum Antistitem, eorum praeterea consensum suppientes qui hac in re aliquid iuris vel habeant vel se praesumant habere, Administrationem Apostolicam quam per vulgus Innsbruck-Feldkirch cognominatur, ad gradum dioecesis evehimus, *Oenipontanam* appellandam iisdemque cingendam finibus ac in praesens terminatur. Sedes Episcopi eiusque domicilium in urbe Oeniponte erit, episcopalis vero magisterii cathedra in templo ibidem exstante, Deo dicato in honorem S. Iacobi Apostoli, quod ad dignitatem cathedralis evehimus, cum iuribus et privilegiis congruis. Item Episcopo iusta iura facimus, impositis etiam obligationibus quae residentium sacrorum Praesulum sunt propria. Nova condita dioecesis, una cum suo Episcopo, suffraganea erit metropolitanae Sedi Salisburgensi eiusque Archiepiscopo, ad normam scilicet sacrorum canonum. Volumus praeterea ut, quandiu Canonicorum collegium constitui ibi possit, Consultores dioecesanos Episcopus deligat, qui ei consilio et ope assint. Mensa episcopalis, quam dicunt, ex Curiae proventibus fiet, ex fidelium sponte oblatis pecuniis atque ex dote, quae a civili auctoritate assignabitur. Quod demum spectat regimen, administrationem, Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem aliaque id genus leges ecclesiasticae religiose serventur. Haec omnia quae mandavimus ut ad effectum adducantur curet

venerabilis Frater Opilius Rossi, Archiepiscopus titulo Ancyranus et in Austria Apostolicus Nuntius, sive per se ipse, sive per alium delegatum virum, qui sit tamen in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero negotium perfecit, congrua documenta, rite signata sigilloque impressa, ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittere curabit.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die sexto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri altero.

IACOBUS A. Card. COPELLO <i>S. R. E. Cancellarius</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consistorialis a Secretis</i>
--	--

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, Protonot. Apost.

Sylvius Romani, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LVII (1965), n. 5, pp. 365-366 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana